

www.e-rara.ch

Scholastica Colloquia Maturini Corderii

Cordier, Mathurin

Tiguri, MDCCIV

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RR 2213

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-87867>

Liber primus. Qui est de rudimentis, & primis studiorum ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SCHOLASTICORUM
COLLOQUIORUM
LIBER PRIMUS.

*Qui est de Rudimentis, & primis studiorum initiis; ubi
primum Puerorum inter se, deinde ipsorum cum
Præceptoribus Colloquia continentur.*

COLLOQUIUM I.

*Argumentum : Duo pueri ad prælectionem repetendam sese
parant. Lectiones sæpe repetendæ.*

ABRAHAMUS, BARTHOLOMÆUS.

E Amus unà repetitum. B. Quid ego repete-
rem? Nōne satis est, quòd solus repetitive-
rim? A. Si tantùm semel aut bis repetieris,
id parum est ad ediscendum. B. Imò circiter de-
cies repctivi. A. Ne id quidem sufficit. B. Quid
igitur vis ampliùs? A. Si vis certissimè reddere
coram Præceptore, opus est cum aliquo repeti-
visse. B. Istud ego nesciebam: sed tibi libenter
assentior. A. Faciamus ergo, quod ego te mo-
nebam. B. Equidem, non recuso, incipe.

COLLOQ. II.

Argumentum : Exordium est ad repetendam prælectionem.

CONRADUS, DANIEL.

Quid agis? D. Repeto mecum. C. Quid re-
etus? D. Præscriptum hodiernum Præcepto-
ri,

LIBER PRIMUS.

5

ris, C. Tenésne memoriá? D. Sic opinor. C. Re-
petamus unà : sic uterque nostrum rectius pro-
nuntiabit coram Præceptore. D. Tu igitur inci-
pe, qui me provocásti. C. Agè, attentus esto:
ne me finas aberrare. D. Sum promptior ad au-
diendum, quàm tu ad pronuntiandum.

COLLOQ. III.

Argumentum : *Ad idem cum proximo superiore.*

ERASMUS, FRANCISCUS.

Vísne mecum repetere prælectionem? F. Vo-
lo. E. Tenésne? F. Non satis rectè fortasse. E. A-
gè, faciamus periculum. F. Quid igitur exspe-
ctamus? E. Si voles, incipe. F. Atqui tuum est po-
tius incipere. E. Quid ita? F. Quia me invitá-
sti. E. Æquum dicis, attende igitur. F. Isthic
sum.

COLLOQ. IV.

Argumentum : *Exordium ad colloquendum, Qui bene agit,
reprehendi non timet. Prudenter igitur facit, qui
præceptum illud usurpat : Sic age, ne timeas.*

GABRIEL, HIERONYMUS.

JAMNE tenes, quæ reddenda sunt horã ter-
tiã? H. Teneo. G. Ego quoque. H. Ergo confa-
bulemur paulisper. G. Sed si intervenerit ob-
servator, putabit nos garrere. H. Quid times, ubi
nihil timendum est? Si venerit, non deprehen-
det nos in otio, aut in re mala: audiat, si velit,
nostrum colloquium. G. Optimè loqueris: sece-
damus aliquò in angulum, ne quis nos impe-
diat.

A 3

COL-

SCHOLAST. COLLOQ.
COLLOQ. V.

Argumentum : *Admonitio brevis , sed pueris aptissima.*

JOHANNES, ADAMUS.

Non decet hîc otari, aut garrere, dum Præceptor expectatur. A. Quid ais, non decet ? Imò verò non licet : nisi volumus vapulare. J. Tu igitur audi me, dum prælectionem pronuntio : ego deinde te audiam. A. Agè, pronuntia.

COLLOQ. VI.

Argumentum : *Otto & Paulus certant , uter melius pronuntiet aliquid eorum , quæ in schola edidicerint. Emanuel iudex.*

Exemplum honesti studiosorum certaminis.

OTTO, PAULUS, EMANUEL.

Optatus mihi ades, Paule : quærebam qui mecum certare vellet : sed omnes ad lusûs certamen currunt : tu verò quid ais ? P. Quid ego malim, quàm tecum de nostris studiis pacificè contendere ? O. Sed quod petis certandi argumentum ? an de repetendis Ciceronis epistolis ? P. Malo de Catone. O. Quamobrem ? P. Quia restant mihi edicendæ aliquot prælectiones de Cicerone. Scis enim me ægrotâsse ferè duas hebdomades. O. Memini. Vis igitur dicamus secundum librum moralium distichorum ? P. Est longus nimis in hanc horam. O. Quid ita ? P. Quia nobis aliquandiu ludendum est, ut corpus exerceamus ad valetudinem conservandam. O. Dicamus ergo librum tertium, qui est brevissimus.

P. Sed

P. Sed iudicem volo. **O.** Præstò est Emanuel, qui me ob eam rem sequitur. **P.** Vis igitur, Emanuel, audire nos? **E.** Quid dicturi estis? **O.** Tertium librum distichorum moralium. **F.** Nonne alternis dicetis? Scilicet suum uterque distichum. **E.** At pueri, (ne erretis) nolo vos audire tanquam iudex. **O.** Cur non? **E.** Ne fortè meâ sententiâ alteruter amicorum offendatur. **P.** In quo igitur nobis eris adiutor? **E.** Notabo in chartula diligenter utriusque lapsus: deinde referetis ad Præceptorem. **P.** Quid tum fiet? **E.** Ille, utri videbitur, victoriam, & præmium adjudicabit. **O.** Eris igitur nobis tantùm testis. **E.** Sic intelligo. **P.** Optima sanè videtur mihi ratio. **O.** Mihi quoque valde probatur. Sed unum restat. **P.** Quid est? **E.** Vultisne præter lapsus manifestos, hæsitaciones etiam notari? **P.** Sic volunt Præceptoris leges super hac de re. **E.** Date mihi librum in manum, ut certiùs observare possim. **O.** Tene meum. **P.** Incipiámne? **O.** Æquum est: quia tu à me provocatus es. **P.** Audi (quæso) Prætor, sed diligenter. Prætor. Tu verò cave dicas negligenter.

*P. Hoc quicumque cupis carmen cognoscere lector:
Hæc præcepta feres, quæ sunt gratissima vita.*

*O. Instrue præceptis animum, nec discere cesses:
Nam sine doctrina, vita est quasi mortis imago.*

*P. Commoda multa feres: sin autem spreveris illud,
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.*

*O. Cùm rectè vives, ne cures verba malorum,
Arbitrii nostri Sc.*

Sic pergunt ad finem usque libri tertii.

COLLOQ VII.

*Argumentum: Robertus & Salomon ante lusum tractant
studiosum aliquid: A lusu ad studium reditur difficilius.*

Exemplum puerorum studiosorum.

ROBERTUS, SALOMON.

EUGE, dimissi sumus ad lusum, audistin? S.
Quidni audierim, cùm egomet adfuerim? R.
Placétne paulisper confabulari: deinde lude-
mus unà? S. Mallem ego priùs ludere. R. Atqui
difficile est ludum abrumpere. S. Planè verum
dicas: & ego in me sic experior. R. Quoniam
igitur placet tibi mea ratio, da nobis aliquid ar-
gumenti ad confabulandum. S. Imò tuum est
dare, ut qui me lacesiveris. R. Æquum dicas:
Redde nomina Latinè, quæ tibi Germanicè
proponam. S. Qua de re propones? R. De su-
pellectili. S. Tentabo respondere, modò ne plu-
ra quàm decem proponas. R. Enumerabo in
digitis, ne fortè numerum excedam. Audi igitur.
S. Isthic sum. R. Ein Rechenbank / S. Abacus.
R. Ein Sessel / S. Sella. R. Ein Leuchter / S. Can-
delabrum. R. Ein Kessel / S. Ahenum. R. Ein
Blasbalg / S. Follis. R. Ein Psulwe / S. Pulvinus.
R. Ein Hauptkuffe / S. Cervical. R. Ein Leintachen /
S. Linteum. R. Ein Hafen / S. Olla. R. eine Weins-
fante / S. Oenophorum. R. Errästi semel. S. Ubi?
R. Dixi-

LIBER PRIMUS.

R. Dixisti linteum pro lodyce. S. Fateor, debeo tibi semel victoriam. R. Nunc vicissim propone, ut redimas, si potes. S. Vis respondere de edulis? R. Ut libet. S. Frisch Fleisch / R. Caro recens. S. Schweinen Fleisch / R. Suilla. S. Wildbrät / R. Ferina. S. Schweinen Wildbrät / R. Aprugna. S. Molken / R. Serum, vel serum lactis. S. Fleischbrüe / R. Juscarnum. S. Gesottener Fisch / R. Piscis elixus. S. Eine Saasse / R. Condimentum. S. Falleris. R. Quid ergo est? S. Intinctus. R. Condimentum volo. S. At ego nolo contendere. R. Quis contendit? consulamus. S. Quin prius ludamus: illud fiet posterius. R. Agè, fiat: ne amittamus ludendi occasionem.

COLLOQ. VIII

Argumentum : *Atingitur differentia inter hortum & hortos. Rerum nomina tenere non satis est, nisi res ipsas cognoscamus.*

TIMOTHEUS, VINCENTIUS.

Quæ sunt arbores in horto vestro? V. Hortum habemus suburbanum, in quo sunt olera, quibus vescimur quotidie: præterea sunt in fundo nostro uni horti, variis arboribus confiti. T. In horto quæ sunt olera? V. De hoc mater melius respondere posset. Nam illic sæpe versatur, aut ferendi causâ, aut sarriendi, aut aliquid colligendi. T. Sed tamen dic mihi aliquot olerum nomina. V. Parùm prodesset nomina tibi recensere, nisi res ipsas videres. Quin eamus in

rem præsentem. T. Potes ire quandolibet. V. Possum quidem, matrepermittente. T. Fac, amabò, permittat, sed ea lege, ut me tibi comitem assumas. V. Id faciliè fiet: tantùm hîc me expecta: mox rediero. T. Quid si ea domi non est? V. Tamen huc tibi renuntiabo. T. Bene vertat Deus.

COLLOQ. IX.

Argumentum: *Nominum secunda declinationis repetitio.*
 Repetitiones confirmatæ memoriæ serviunt.

ADAMUS, BENEDICTUS.

Vísne repetamus unà? B. Quidnam? A. Id quod nobis præscriptum est. B. Equidem volo, sed quo genere repetendi utemur? A. Audiamus nos vicissim. B. Sic præceptor nos monet sæpe. A. Rectè monet, sed malè paremus. B. Uter incipiet? A. Ego, si tibi ita placet. B. Maximè placet: incipe igitur. A. Secundæ declinationis nomina his exemplis Latinè declinantur:

Magister, puer, dominus, Lanius, Antonius, regnum.

B. Quæ sunt hodie declinanda? A. Hesternum quidem est Lanius, hodiernum verò Antonius. B. Cur nos id repetimus quotidie, quod pridie reddidimus? A. Quia sic præceptor jubet. B. Id satis scio: sed cur jubet? A. Ad confirmandam memoriam. B. Agè declina Lanius-

A. N. S. hic. Lanius: G. hujus Lanii, &c. ad finem usque.

B. Verte

B. Verte Germanicè. A. Lanius, lanii, g. m.
Ein Metzger.

B. Declina Antonius

A. N. S. hic Antonius: G. hujus Antonii. D.
huic Antonio, &c. *ad finem usque.*

B. Verte Germanicè. A. Antonius, Antonii,
g. m. est nomen viri, *Es ist ein Manns Name:
auf Deutsche/Antoni.* B. Cur dicis nomen viri? tu
nondum es vir. A. Fateor, sunt alii Antonii, qui
viri sunt. B. Utinam aliquando vir evadas. A.
Evadam Deo juvante.

B. Attende nunc: ut vicissim audias me. A.
Isthic sum: dic audacter.

B. Secundæ declinationis nomina. A. Desine,
Præceptor adest. B. Audio tussientem, desina-
mus: ne putet nos garrire.

COLLOQ. X.

Argumentum: *Nominum tertia declinationis repetitio.*
Tempore non est abutendum. Præceptor non est me-
tuendus in re bona.

CORNELIUS, DANIEL, DIODORUS.

QUID agis Daniel? instat Præceptoris adven-
tus. Da. Scilicet instat: nondum est semihora
post secundam. C. Tamen non debemus inte-
rum tempore sic abuti: repetamus. Da. Non sta-
bit per me, ego enim sum paratus. C. Incipe igitur.
DI. Espectate parumper: quæso: ego sum
quoque vestræ decuriæ. C. Matura. Da. Dica-
mus suum quisque casum ordine, ut interdum
nos

nos docet Præceptor. C. Satis est verborum : attendite. DI. Quid aliud agimus ?

C. Tertiæ declinationis nomina his exemplis Latinè declinantur , Pater , Lumen , Rupes , Messis , Pars , Sedile , Vectigal , Laquear .

D. Nom. Sing. Hæc rupes. DI. Gen. hujus rupis. C. Dat. huic rupi. Da. Ac. hanc rupem. DI. Voc. ô rupes. C. Abl. ab hac rupe. Da. Nom. Plur. Hæ rupes. DI. Gen. harum rupum. C. Errâsti Diodore : corrige erratum. DI. Gen. harum rupium. C. Dat. his rupibus. Da. Accus. has rupes. DI. Voc. ô rupes. C. Abl. ab his rupibus. Da. Verte Germanicè. DI. Rupes, rupis, g. f. Ein Fels. C. Pone in oratione. Da. Non est in libro nostro. C. Sed Præceptor docuit. Da. Alta rupes , Ein hoher Fels.

DI. Nom. Sing. Hæc messis. C. Gen. hujus messis. Da. Dat. huic messi, &c. *Usque ad finem hujus nominis : deinde sic pergunt colloqui.*

C. Ambo errâstis. Da. Erravi, fateor. DI. Ego quoque : sed uter erit victus ? C. Præceptor iudicabit. Da. Equum dicis. C. Vultisne dicamus iterum ad memoriam confirmandam ? Da. Quidni ? DI. Quid si Præceptor interveniat ? C. Quid tum ? laudabit nos ore pleno. DI. Sed mutandus est ordo.

C. Non est dubium, Incipe Daniel.

Da. Tertiæ declinationis nomina , &c.

COLLOQ. XI.

Argumentum : *Adjectivi tertiæ declinationis repetitio.*

EUDOXUS, FRIDERICUS.

VISNE repetere mecum ? F. Cur tam citò ?

E. Ne observator nos deprehendat garrientes aut otiosos. F. Agè, repetamus : sed uter incipiet ?

E. Ego, quia victor sum. F. Dic igitur. E. Prudens, nomen adjectivum sic declinatur in genera :

Hic prudens, g. m. hæc prudens, g. f. hoc prudens, g. n.

Idem nomen sic declinatur in casus :

Nom. Sing. Hic & hæc prudens.

F. Gen. prudentis. E. Dat. prudenti. F. Accus. prudentem, & prudens, &c. *ad finem usque.*

COLLOQ. XII.

Argumentum : *Nominum tertiæ & quartæ declinationis repetitio. Repetitiones sæpius iterandæ.*

GERARDUS, HENRICUS.

Mox aderit Præceptor, repetamus. H. Quid opus est mihi repetitione ? solus repetivi satis : omnia teneo memoriâ : G. Quid tum ? quantò sæpius repetes, tantò meliùs tenebis. H. Bene mones ; habeo tibi gratiam. G. Incipe : tempus abit. H. Quartæ declinationis. G. Erras Henrice. Incipiendum est ab exemplo hesternò. H. Erravi, fateor. G. Dic igitur nunc rectè. H. Nom. Sing. Hoc sedile, G. hujus sedilis &c. *ad finem usque.*

Quartæ declinationis nomina hoc exemplo declinantur :

Nom

Nom. Sing. Hic sensus. Gen. hujus sensûs :
Dat. huic sensui. G. Haectenus : audio Præcepto-
rem.

COLLOQ. XIII.

Argumentum : Verbi secunda conjugationis repetitio Lusi-
bus statuendus est modus. Scûdia jucundè conferenda.

ISACUS, LUCIUS, MICHAEL.

Hic dies nobis est feriatas : & jam satis lusi-
mus. L. Satis, opinor I. Vultis ergo, ut animi gra-
tiâ conferamus de studiis nostris? L. Sanè mihi
gratum feceris. M. Mihi verò gratissimum. L.
Sed quid tractabimus? I. Tentemus conjugare
aliquod verbum Latinè , simul & Germanicè.
M. Incipe igitur, quia nos provocasti. I. Faciam
quando ita placet vobis. L. Audiamus.

I. Indicativi modi præsens tempus , Doceo,
Ich lehre/doces, du lehrst/docet, er lehret/Plural,
Docemus, wir lehren/ docetis, ihr lehret/ docent,
sie lehren.

L. Præteritum imperfectum , Singulariter,
Docebam, Ich lehrte/ docebas, du lehrtest/ doce-
bat, er lehrte/ Plural. Docebamus, wir lehrten/ do-
cebatis, ihr lehrtet/ docebant, sie lehrten.

M. Præteritum perfectum, Singulariter, Do-
cui, Ich habe gelehrt/ docuisti, du hast gelehrt/ do-
cuit, er hat gelehrt. Plur. Docuimus, wir haben ge-
lehrt/ docuistis, ihr habet gelehrt/ docuerunt, vel
docuère, sie haben gelehrt.

L. Præteritum plusquamperfectum, Singul.
Docueram, Ich hatte gelehrt/ docueras, Du hãt-
test

test gelehrt/docuerat, er hatte gelehrt/&c. Sic pergunt quatenus placet.

COLLOQ. XIV.

Argumentum : *Verbi tertie conjugationis repetitio. Studium collatio comis esse debet, nec claustra. Gratulandum aliis, si officium rectè faciunt, sed laus debetur soli Deo*

NICOLAUS. OLIVARIUS.

Cur tu es otiosus? O. Non sum omnino. N. Quid agis igitur? O. Cogito de lectione reddenda. N. Ego quoque id ago: repetamus unà. O. Fiat: sed quam rationem tenebimus? N. Age Præceptoris partes, ego discipuli. O. Valde mihi placet conditio. N. Sed ne sis mihi austerior. O. Ne timeas: nōsti me satis. N. Novi.

O. Conjugato Lego in modo infinito.

N. Infiniti modi tempus præsens & præteritum imperfectum, legere.

Præteritum perfectum & plusquamperfectum, legisse.

O. Perge. N. Sine me paulisper respirare, quæso, Præceptor.

O. Perge nunc. N. Futurum indefinitum, Lecturum esse, Gerundia, legendi, &c, ad finem usque.

O. Gaudeo te rectè fecisse officium. N. Ego verò mihi gratulor: sed est Deo gratia. O. Rectè dicis: utinam ex animo. N. Ex animo certè. O. Bene habet, desinamus, sentio Præceptoris adventum. N. Eccum adest.

COL:

SCHOLAST. COLLOQ.
COLLOQ. XV.

Argumentum : *Verbi quarta conjugationis repetitio.*
Utilitas publica omnibus modis procuranda.

PATRICIUS, RUDOLPHUS,

STEPHANUS, THOMAS,

VALERIUS.

HEUS pueri, nos hîc sumus quinque : repetamus hodiernum verbum , ut solemus coram Præceptore.

R. Nemo (ut opinor) contradicet. Sr. Incipe igitur Patrici, qui primus sedes.

P. Optativi & subjunctivi modi præsens tempus Sing. Audiam, R. Audias. S. Audiat.

T. Plur. Audiamus. V. Audiatis. P. Audiant.

R. Præteritum imperfectum. Sing. Audirem.

Sr. Audires. Th. Audiret. V. Plur. Audiremus.

P. Audiretis. R. Audirent.

Sl. Præteritum perfectum. Sing. Audiverim.

Th. Audiveris. V. Audiverit. Plur. Audiverimus , &c. *Usque ad finem verbi hoc pergunt ordine.*

COLLOQ. XVI.

Argumentum : *Andreas cujusdam orationis partes & accidentia audit ex Beato.*

ANDREAS, BEATUS.

DIC Latinè , Laßt uns unsere lection widerholen. B. Repetamus unâ prælectionem. A. Hæc oratio quot habet partes ? B. Tres. A. Discerne singulas nominatim. B. Repetamus , est verbum : *Unâ* , adverbium : *Prælectionem* , nomen. A. Declara paulò pleniùs. B. Tu igitur præito mihi

mihī, ut solet Præceptor. A. Repetamus. B. Repeto, repetis, repetere, conjugationis tertiæ, sicut Lego, legis, legere. Præteritum, repetivi; Supinum, repetitum. Participia, repetens, & repetiturus. A. Unà. B. Non declinatur, quia est adverbium hoc in loco. A. prælectionem. B. Prælectio, prælectionis. g. f. **Eine lection.**

COLLOQ. XVII.

Argumentum: Duo pueri diligenter repetunt, quæ sunt in Auditorio reddituri. Exemplum diligentiae in pueris, pro captu ætatae. Uti in ætate & doctrinâ profecti hoc imitarentur exemplum!

CRISPUS, DESIDERIUS,

REPETAMUS nomina quotidiana, ut certius reddamus ea Præceptorī. D. Bene mones, Prædico mihi hesternæ. C. Dic Latine, **Ein aug.** D. Oculus. C. Das rechte aug. D. Oculus dexter. C. Das linke aug; D. Oculus sinister. C. **Beide augen.** D. Ambo oculi. C. Probè tenes. D. Nunc audi, an rectè solus dicam. C. Agè, audio. D. **Ein aug.** C. Debes enumerare in digitis, ut docet Præceptor. D. Quid prodest istud? C. Ad memoriam iuvandam. D. Quid hoc sibi vult? C. Non audivisti toties? D. Ego sum obliviosus: quid agerem? C. Esto diligentior ad ea retinenda, quæ perceperis. D. Quòd me fideliter mones, pergratum facis. C. Agè, ad rem redi. **J D. Ein aug/Oculus.** Das rechte aug/Oculus dexter. Das linke aug/Oculus sinister. **Beide augen/Ambo oculi.**

B

li.

li. C. Quàm rectè omnia dixisti! D. Repetamus etiam hodierna. C. Placet. At tu vicissim præito mihi. D. Ein hand. C. Manus. D. Die rechte hand. C. Manus dextera. D. Die linke hand; C. Manus sinistra. D. Beyde hände. C. Ambæ manus. D. Restat ut solus dicas. C. Eine hand/ Manus. Die rechte hand / Manus dextera. Die linke hand/ Manus sinistra. Beyde hände / Ambæ manus. D. O si tam bene diceremus coram Præceptore! C. Quid obstat? D. Quia timeamus. C. Et tamen errata nostra satis humaniter corrigit. D. Nescio quid hoc sibi velit, ego semper sum timidus in principio. C. Istud est quodammodo naturale omnibus, ut audivimus ex Præceptore. D. Nunc repetendum esset Latine & Germanicè, sed Præceptorem venientem video. C. Ingrediamur.

COLLOQ. XVIII.

Argumentum: Puer ultrò saluatum venit Præceptorem, comiter ab illo accipitur, reddit quæ præ scripta fuerant. Laudatur à Magistro. Deum laudat: munusculis blandis invitatur. Exemplum ad parvulos blandè & comiter in schola tractandos, ne severitate disciplinæ absterceantur.

ERASMUS, PRÆCEPTOR.

Salve Præceptor. P. Salvus sis, mi Erasme. Unde venis tam multò manè? E. E cubiculo nostro. P. Quando surrexisti? E. Paulò ante sextam. Præceptor, P. Quid ais? E. Sic ut dico. P. Tu nimis es matutinus: quis te expergefecit? E. Frater meus. P. An precatus es Deum? E. Quàm primum

mum frater me pexuit, precatus sum. P. Quo-
modo? E. Flexis genibus & conjunctis manibus
dixi precationem Dominicam, cum gratiarum
actione. P. Quâ linguâ? E. Latinâ. P. O factum
bene! quis te misit ad me? E. Nemo. P. Quid er-
go? E. Ultrò veni. P. Mi animule, quàm pul-
chrum est sapere! Nonne est jentandi tempus.
E. Nondum esurio. P. Quid vis igitur? E. Volo
reddere nomina quotidiana, si tibi placet audi-
re me. P. Quidni placeret? tenes igitur memo-
riâ? E. Teneo, gratia Deo. P. Agè, pronuntia. E.
Sed mihi soles præire Germanicè, & ego Latinè
respondeo. P. Bene mones: penè istud oblitus
eram; responde igitur. E. Exspecto ut propo-
nas. P. Das haubt: E. Caput. P. Die scheidel:
E. Vertex. P. Das vorder theil des haubts: E.
Sinciput. P. Das hinder theil des haubts: E. Oc-
ciput. P. Nunc responde Germanicè, Caput. E.
Das haubt. P. Vertex. E. Die scheidel: P. Sinci-
put. E. Das vorder theil des haubts: P. Occiput.
E. Das hinder theil des haubts. P. Quid si nunc
solus dicas omnia? E. Facile dicam. P. Ego ve-
rò te libenter audiam. E. Das haubt / Caput:
Scheidel / Vertex: Das vorder theil des haubts/
Sinciput: Das hindertheil des haubts / Occi-
put. Nonne bene dixi, Præceptor? P. Quàm
optimè. E. Laudetur Dominus Deus. P. O pul-
chrum verbum! ito nunc petitum ab ancilla jen-
taculum. E. Malim abs te accipere, Præceptor,
si tibi non est molestum. P. O quàm te amo de

isto verbo! agè, sequere me, dabo tibi aliquid boni; quia tuum rectè fecisti officium. Quid est hoc? E. Panis candidus, *Weißbrot*. P. Quid hæc sunt? E. Ficus aridæ, *Dürre Feigen*. P. Numera. E. Una, duæ, tres, quatuor, quinque, sex. P. lepidum capitulum! jenta nunc otiosè.

COLLOQ. XIX.

Argumentum: *pueri elementarii, extra ordinem ludendi veniam petunt.*

FABER puer, PRÆCEPTOR,
GUILHELMUS, & HEN-
RICUS pueri.

Salve Præceptor. P. Sit vobis salus à Christo. *Pueri*: Amen! E. Jàmne repetivistis? Fab. Etiam Præceptor. P. Quis docuit vos? Fab. Subdoctor. P. Quid nunc vultis? Guil. Ut per te liceat nobis parumper ludere. Præc. Non est ludendi tempus. Hen. Non petimus omnibus, sed nobis parvulis tantùm. Præc. Atqui pluit, videtis. Guil. Ludemus in pergula. Præc. Quo lusu? *Pueri*. Acciculis vel juglandibus. Præc. Quid mihi dabitis? Fab. Dicemus nomina. P. Quot dicetis singuli? Guil. Duo. P. Dicite igitur. Fab. *Papeir/Charta*: *Dinten / Atramentum*. Dixi. Guil. *Ein buch / Liber*: *Ein büchlein / Libellus*. Dixi. Hen. *Ein kirse / Cerasum*: *Baumnus / Juglandes*. Diximus. Præc. Quàm belli estis homunculi! Ludite ad cœnam usque. *Pueri*, Gratias agimus, Præceptor.

COL

Argumentum : *Magister, à discipulo interrogatus, respondet humaniter. Bonus Præceptor bene optat discipulis. Solus Deus dat bene agendi voluntatem. Omnis boni gratia Deo debetur, Regula citra exceptionem vix ulla est. In dubiis Grammatices consulendæ sunt Regulæ. Studiosus doctos ad imitandum observare debet. Præclara opera longiori tempore indigent Experimentiâ. Patrum indoctorum stultitia, Tempus expectandum. Scientia magnis laboribus comparatur. Exemplum boni Præceptoris, & discipuli studiosi.*

JODOCUS, PRÆCEPTOR.

Præceptor licetne pauca? P. Loquere quid velis. J. Quum interdum dicis alicui nostrum, Ubi est follis? vel cedò follem: non apparet, utrùm follis sit masculini an fœminini generis. P. Non apparet, fateor: quid tum? J. Unde igitur scire possumus? P. Cur me de hoc nunquam rogâstis? J. Tam multa tam sæpe interrogamus, ut vereamur, ne tibi molesti simus. P. Quasi verò istud unquam præ me feram: contrà, eò magis amo, quò me rogatis sæpius. Quid enim magis cupio, quàm ut aliquando vos videam & optimos & doctissimos? J. Habemus gratiam maximam; Præceptor humanissime. P. Eam gratiam ego & vos Deo nostro debemus, qui solus, sua bonitate, utrisque bonam dedit voluntatem. J. Faxit ille, ut hoc beneficio rectè semper utamur in ipsius gloriam. Sed dic quæsò, follis cujus est generis; P. Masculini. J. At ego potius fœminini dixissem. P. Quamobrem? J. Quia

tale est pellis, quod est in Rudimentis pro exemplo positum. P. Non abs re id conjiciebas. Nam Nomina in is finita, quale est pellis, magna ex parte foeminina sunt. J. Non igitur omnia? P. Vix ulla est tam generalis regula, quæ exceptione careat. Follis igitur sub exceptionem cadit: quia masculinum est. Sic aliquot alia, ut ignis, piscis, axis, &c. J. Sed unde illa dignoscam? P. Facile cognosces, quum perveneris ad Grammaticæ regulas, Sed interim Latine loquentem attentè observa, téque ad eorum imitationem diligenter accommoda. J. At istud longum est Præceptor. P. Non fiunt nisi longo tempore præclara ædificia. J. Experientia nos istud docet. At Pater meus vellet me annuo spatio doctum videre. P. Ego verò istud unius diei spatio videre vellem. Sed quid agas? omnibus in rebus expectandum tempus est. Pater tuus, quia non didicit literas, nescit quid doctrina valeat, neque quantis laboribus illa comparetur. J. Verum dicis: sed quid illi respondere possum, quum apud me conqueritur de temporis longi spatio in discendis literis? P. Docebo te inter cœnandum, nuac ito Iusum cum cæteris, ut me in musæum recipiam. J. Ignosce mihi (quæso) Præceptor, quòd te interpellaverim. P. Nihil me interpellasti: non enim occupatus eram. Præterea, si te audire mihi molestum fuit, nonne poteram te in aliud tempus rejicere? J. Tuo jure id poteras. P. Abi igitur.

Argum-
redis
Form
indic

pad.
tionem
igitur
no te
ex Ca
nè & C
chavin
butis &
ficium
ri mag
Nam
ceptor
mus, A
mus ce
nicè, P
istud
Non ar
juga i
lima.
L. E
tente:
hutte fo
tivus de

COLLOQ. XXI.

Argumentum : *Pædagogus à puero rationem studii exigit, reddit puer alacriter : Admonetur ut à mendacio caveat.*
Formula ad verborum conjugationem pueris breviter indicandam, postquam exempla generalia didicerint.

PÆDAGOGUS, LAMBERTUS.

Pæd. Esné paratus ad reddendam studii tui rationem? **L.** Paratus, ut mihi videor. **Pæd.** Redde igitur, & esto præsentis animo : **L.** Hoc matutino tempore primùm pronuntiavimus carmen ex Catone; deinde ejus interpretationem Latinè & Germanicè reddidimus; postremò bini tractavimus singulas partes orationis, cum attributis & significatione. **Pæd.** Recténe fecisti officium tuum? **L.** Puto me satisfecisse Præceptoris magna ex parte. **Pæd.** Vide ne mentiaris: Nam ego illum percontabor. **L.** Ut voles Præceptor: nihil hac in re metuo. **Pæd.** Agè, pergamus. Meridie, quid habetis reddere? **L.** Habemus conjugare verbum *possum*, Latinè & Germanicè. **Pæd.** Nihil præterea? **L.** Nihil. **Pæd.** Ego te istud aliàs docui: Nónne tenes memoriâ? **L.** Non ausim affirmare, donec tentavero. **Pæd.** conjugata in primas personas: cætera tibi erunt facilissima.

L. *Indicativus, possum, Ich kan; poteram, Ich kónnte: potui, Ich hab kónnen: potueram, Ich hatte kónnen: potero, Ich wird kónnen: Imperativus deest.*

Optativus, utinam possim, Gott wölle / daß ich könne : utinam possem, Ach daß ich könnte : utinam potuissem, Wölte Gott / daß ich hätte können.

Subjunctivus, ut possim, Daß ich könne: ut possem, Daß ich könnte : quàmvis potuerim, Ob ich wol hab können : quàmvis potuissem, Ob ich wol hätte können : quum potuero, Wann ich werde können. Pæd. conjuga totum infinitivum.

L. *Infinitivi modi Præsens* & *Præteritum imperfectum*, posse, können: *Præteritum imperfectum* & *Plusquamperfectum*, potuisse, gekönt haben : Cætera desunt.

PÆD. Cur hoc verbum possum caret futuro indefinito, cur item participio in rus? L. Quia non habet supinum. Pæd. Quid tum? L. Illæ enim voces à supino formari solent. Pæd. Da exemplum in aliquo verbo integro. L. Ut à supino lectum fit lecturus, & à lecturus fit lecturum esse. Pæd. Rectè sanè. Sed cur prætermisisti participium præsens à verbo possum, quum sit in usu, potens, potentis? L. Quia (ut sæpe nos docuisti) Potens non est participium, licèt à possum veniat. Pæd. Quid ergo est? L. Nomen adjectivum. Pæd. Probè meministi : utinam sic pergas semper! L. Spero in dies meliora, per Dei gratiam. Pæd. Ego quoque idem tecum spero. Nunc restat, ut dicas præteritum cum prole. L. Potui, potueram, potuerim, potuero, potuissem, potuisse. P. Dic terminationes. L. I, ram, rim, ro, se. Pæd.

Pæd. Dic significationem. L. Possum. Ich kan; posse, können: Pæd. Hactenus: ecce vocamur ad prandium.

COLLOQ. XXII.

Argumentum : *Discipulus Magistrum de dubio quodam consulti : Magister benignè respondet. Analogiæ non ubique fidendum. Latinitas quibus constet maximè. Ætatis progressus quid requirat. Omnis profectus noster Deotribuendus. Citra favorem divinum frustra laboramus. Exemplum anomalix in genere & accentu sub eadem terminatione.*

MARCELLUS, PRÆCEPTOR.

PRÆCEPTOR, licetne pauca ? P. Dic liberè.

M. Cur non dicimus : Hic arbor, sicut hic labor ? Item cur genitivum arboris non proferimus penultimâ longâ, ut ferè in cæteris nominibus terminationis ejusdem ? P. Quia loquendi usus aliter approbavit. Nec enim ubique locum habet analogia : sed ubi ea deficit, sequendus est eorum usus, qui rectè & purè locuti sunt. Nam ipsa Latinitas usu & auctoritate magis, quàm ratione constat. M. Da igitur auctoritatem de nomine arbor. P. *Arboris exese truncus*, apud Virgilium. Nonne hic manifestè vides & genus & accentum ? M. Video Præceptor, sed suntne alia eodem accentu ? P. Inprimis Græca omnia, ut Castor, Castoris, sic Hector, Nector, & similia. Item hæc duo neutrius generis, æquor, æquoris, marmor, marmoris. Sunt & adjectiva quædam, ut mæmor, memoris, & ex eo compositum im-

memor. Talia quoque sunt ex decus & corpus composita, ut indecor, indecoris: tricorpor, tricorporis. Sed hæc apud Grammaticos annotata facile per te invenies. Nam ista ætas tua majorem indies requirit diligentiam. Huc accedit, quod hæc ipsa, quæ tuo labore ac diligentia inveneris, firmiore tenebis memoriâ. M. Ago tibi gratias, humanissime Præceptor, quod me tanta humanitate non solum doces, sed etiam admones. P. Bene facis: sed interim volo memineras, soli Deo acceptum referre, quicquid boni ex labore meo in te proficiscitur. Frustra enim docendo laboramus, nisi laboribus nostris divinus favor accesserit. Nosti illud Apostoli: *Neque qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat: sed Deus, qui dat incrementum.* M. Essemus profecto plumbo stupidiores, si ista ignoraremus, quæ nobis tam sæpe inculcas, tamque diligenter. P. Tantò diligentius vos oportet cum meminisse, tum recordari. Sed jam tempus est, ut ad quotidianum pensum te referas; ego verò interea in musæolum.

COLLOQ. XXIII.

Argumentum: Pueri in quotidiano sermone ad Latine loquendum diligenter exercentur: multa discunt sine regulis Grammatices. Bene precandum omnibus, maxime nostris.

PRÆCEPTOR, NICOMACHUS.

Dic Latine, *Ein buch*: N. Liber. P. Liber cuius generis? N. Masculini. P. *Quî scis?* N. Ex bene

ne lo
fum
Hi
Liber
Bene
cui?
omne
non
ster.
N. G
dit in
semp
nam
hoc fi
precar
anim
scipu
dena

Argum
ajsa
pue
quo

P
auda
toto r
animu
sentent

ne loquendi usu & consuetudine. P. Ostende usum. N. Nam quotidie loquentes, sic dicimus: Hic liber cujus est? Dicimus item sæpenumero, Liber meus, liber tuus, bonus liber, & similia. P. Bene respondisti: sed quis loquendi usum te docuit? N. Tu ipse, Præceptor. P. Ergone tenes omnem usum linguæ Latinæ? N. Si tenerem, jam non essem discipulus. P. Quid igitur? N. Magister, fortasse. P. Abi, responso tuo contentus sum. N. Gaudeo sanè. P. Age gratias Deo, qui tibi dedit ingenium & mentem bonam. N. Utinam semper agnoscam ejus in me beneficia. P. Utinam ille favore suo tua studia prosequatur. Quid hoc sibi vult Nicomache? N. Quòd mihi bene precaris: P. Ergo tu quoque memento bene ex animo precari omnibus, præcipuè verò condiscipulis tuis. N. Meminero, Præceptor. P. Adendum fuerat, Deo juvante. N. Oblitus sum.

COLLOQ. XXIV.

Argumentum: Parvulus puer ludendi copiam sibi & condiscipulis impetrat. Quantil. Nec me offenderit lusus in pueris. Exemplum ad parvulos pueros, &c. Vt in colloquio decimo nono.

O B E R T U S, P Æ D A G O G U S.

PRÆCEPTOR, licétne pauca? P. Loquere audacter. O B. Ego & condiscipuli mei hoc ferè toto triduo libris affixi fuimus, licétne paulisper animum ludo relaxare? P. Dic igitur aliquam sententiam. O B.

Inter-

*Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.*

P. Dic versus Germanicos, si memoriâ tenes,
OB.

Dein sorg und müß mit freud vermisch/
Die dich zur arbeit machet frisch.

P. Quàm rectè dixisti omnia OB. Est Deo gratia. P. Addendum posthac erit aliquid. OB. Quidnam Præceptor? P. Qui dedit mihi ingenium & mentem bonam. OB. Sed quis docebit me illa verba? P. Ea scribam tibi in commentariolo tuo, ut ediscas. Sed dic mihi, quæsdò, quis te docuit istam orationem, quam pronuntiâsti? OB. Campanus heri dederat mihi scriptam: & ego memoriæ mandavi. P. Profectò ego te amo, mi Oberte, ob istam diligentiam. OB. Ago tibi gratias, Præceptor. Permittisne igitur ut ludamus? P. Sanè. Abi, renuntia condiscipulis tuis. OB. Faciam. P. Quid dices illis? OB. Id, quod me docuisti aliquando. P. Sed volo priùs ex te audire. OB. Gaudete pueri: en affero vobis jucundum nuncium. Ego vobis impetravi ludendi potestatem. P. Euge, probè meministi, ito nunc jam.

COLLOQ. XXV.

Argumentum: *Exemplum ad pueros in Latinis Germanicè verendis paulatim exercendos.*

PRÆCEPTOR, PETRUS.

ATTENDE Petre, ut discas Latina bene Germanicè vertere. Pet. Attendo, Præceptor, Pr. At dili-

diligenter. Pet. Imò diligentissimè & ex animo.
 Pr. Bene facis. Pet. Propone igitur mihi Latina,
 ut nobis interdum soles. Pr. Quid opus est? Pet.
 Was ist vonnöhten. Pr. Gallinæ. Pet. Zu einem
 hun/Pr. Ut. Pet. Das/Pr. Illa. Pet. Es/ Pr. Sit. Pet.
 Geye/ Pr. Bona. Pet. Gut. Pr. Rectè vertisti. Nunc
 ad singulas partes hujus orationis responde no-
 minatim. Pet. Respondebo, quoad potero, dum-
 modò mihi præieris. P. Quid. Pet. Est nomen. P.
 Opus. Pet. Nomen. Pr. Est. Pet. Verbum. Pr. Galli-
 næ. Pet. Nomen. Pr. Ut. Pet. Conjunctio hoc in lo-
 co. Pr. Illa. Pet. Pronomen. Pr. Sit. Pet. Verbum. Pr.
 Bona. Pet. Nomen. Pr. Agè dicamus iterum, ut
 singula paulò plenius intelligas. Pet. Quid nunc
 respondebo? P. Indica breviter singularum par-
 tium declinatum, ut vos docere soleo. Pe. Præito
 igitur, ut cœpisti. P. Quid. Pet. Quid, Cujus, no-
 men substantivum, anomalum. P. Opus. Pet. Hoc
 opus, operis, ut onus, oneris, P. Falleris Petre. Pet.
 Quid ita? P. Quia opus hîc est adjectivum. Pet.
 Eho adjectivum! quomodo declinatur? P. Est
 indeclinabile. Pet. Me miserum! nunquam istud
 audieram. P. Addendum fuit, quòd sciam, vel
 quòd meminerim. Pet. Quamobrem? P. Quia for-
 tasse audieras, sed memineras malè. Pet. Fieri
 potest, sed perge, quæso, me docere. Quid ver-
 naculè significat istud nomen? P. Non solet Ger-
 manicè verti, nisi junctum cum verbo Sum, es.
 Pet. Da exemplum. P. Quotidie in ore habes
 exempla

exempla. Pe. Nunc mihi non occurrunt. P.
 Nónne soles dicere, & audire ex condiscipulis :
 Opus est mihi chartâ, atramento, pecuniâ, & si-
 milia? Pe. Sæpe dico, fateor, & sæpe audio : sed
 parùm adverto. P. Nunc igitur adverte, & man-
 da memoriæ. Opus est mihi pecuniâ ad libros
 emendos. *Ich habe gelt vonnöhten bücher zukauf-*
fen vel sic, *Ich bedarf.* Pe. Da item aliud exem-
 plum, quæso. P. Opus est tibi virgis, ut tua ex-
 pellatur pigritia, *Du bedarfst ruhten / damit dei-*
ne faulkeit außgetriben werde. P. Fateor equi-
 dem, præceptor: sed Deus (ut spero) mei mise-
 rebitur. P. Omnium miseretur Deus, qui piè
 illum invocant. Sed de nomine *Opus* jam satis
 multa, quod ad vos attinet : ad cætera redeo. Est.
 Pe. Sum, es, esse, verbum anomalum. P. Galli-
 næ. P. Gallina, gallinæ, ut mensa, mensæ. P.
 Ut. Pe. Non declinatur, quia est conjunctio,
 Germanicè, *Auf daß / oder damit.* P. Illa. Pe.
 Ille generis masculini: illa foeminini: Illud neu-
 trius. P. Declina in foeminino. Pe. Illa, illius, illi,
 &c. P. Sit. Pe. Jam dictum est. P. Bona. Pe. Bo-
 nus, generis masculini : bona foeminini : bonum
 neutrius: nomen adjectivum. P. Confer ad exem-
 plum. Pe. Justus, justa, justum : Bonus, bona, bo-
 num. P. Nunc mutuo vos interrogate, ut ple-
 nius omnia tractetis.

LIBER